

peritus esset: et ex eo genere Sex. Aelium, M. Manilium, P. Mucium nominarem. Atque, ut ad leviora artium studia veniam, si musicus, si grammaticus, si poëta quaeratur, possim similiter explicare, quid eorum quisque profiteatur, et quo non amplius a quoque sit postulandum. *Philosophi* denique ipsius, qui de sua vi ac sapientia unus omnia paene profiteatur, est tamen quaedam descriptio, ut is, qui studeat omnium rerum, divinarum atque humanarum vim, naturam causasque nosse, et omnem bene vivendi rationem tenere et persequi, nomine hoc appelletur. *Oratorem* autem, quoniam de eo quaerimus, equidem non facio eundem, quem Crassus; qui mihi visus est omnem omnium rerum atque artium scientiam comprehendere uno oratoris officio ac nomine; atque eum puto esse, qui verbis ad audiendum jucundis, et sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus atque communibus. Hunc ego appello oratorem, eumque esse praeterea instructum voce, et actione, et lepore quodam volo.

Partit. 11. F. Quid? Definitionis quae ratio est, et quae via?

P. Non dubium est id quidem, quin definitio genere declaretur, et proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus, proprium quid sit, eluceat. Sed quoniam de propriis oritur plerumque magna dissensio, definiendum est saepe ex contrariis, saepe etiam ex dissimilibus, saepe ex paribus. Quamobrem descriptiones quoque sunt in hoc genere saepe aptae, et enumeratio consequentium, imprimisque commovet explicatio vocabuli ac nominis.

Rhetoric. I. 49. Mala definitio est, quum aut communia describit, hoc modo: *Seditiosus est is, qui malus atque inutilis est civis;* (nam hoc non magis seditiosi, quam ambitiosi, quam calumniatoris, quam alicujus improbi hominis vim describit) aut falsum quiddam dicit, hoc pacto: